

hostium Castrutio, sed egregia opera eius adiuto, ad vincendum Bononienses, pari impetu fortunâque se conuertit. In ea expeditione, cum forte equo descendens requiescit, ingens vipera, nullo comite aduertente, in galeam iuxta positam irrepsit: Quam cum mox capiti reponeret, fumoso quidem & horribili, sed prorsus innocuo lapsu, per decoras interriti Ducis genas illa descendit, eam à nemine lædi passus, animosus adolescens, ad omen geminæ victoriæ traxit, hinc præcipuè quod ipse pro signo bellico vipera vteretur: Ego autem huic sermoni, in hac cladium domesticarum memoria, finem statuo, labores nostros miseratus, finiat ipse qui potest.

DE MODESTIA.

CAP. X.

Ad miraberis Lector, nec immeritò, ego enim ipse, dum huc peruenissen, admirans substiti, quoniam calamum casus impelleret, ut de Modestia locuturus, ab homine petulantissimo sumerem exordium: sed apud te primū quæso, deinde per te, apud alios excuser: neque enim viros hic illustres prosequor, quod alio volumine feci, quin potius (quod ipse ti-